



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

Cap. XI. Et ascendens in nauiculam transfretauit, [et] venit in ciuitatem
suam. Et ecce offerebant ei paralyticum, iacentem in lecto. Et videns
Jhesus fidem illorum, dixit paralytico. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

ſæui nimis: quia cum ueniſſent in huius uitæ incolatum, ad debellandum principem huius
 mundi diabolum, duæ mortes generis humani, duce ipſo peccati & mortis principe, aduer-
 ſus eum cucurrerunt. Quæ nam duæ illæ mortes ſunt? Videlicet una mors corporum, &
 una mors animarum, contra quas erat illi dimicandum. Vnde & bene illi duo & ſæui ni-
 mis, & de monumentis exiſſe uel in monumentis habitaſſe dicuntur: quia uidelicet & mors
 animarum ſæua nimis eſt, & per mortem corporum in monumentorum habitationem
 deuenimus. Et illa quidem mors, quæ eſt animarum, occurrens nihil contra eum præua-
 luit, quemadmodum ipſe dicit, Venit enim princeps mundi huius & in me non habet
 quicquam. Porro illa mors, quæ eſt corporum, ad tempus illi præualere permiſſa eſt, ut
 ſuſcipiens uel admittens noſtram ſimplam, euacuaret duplam. Quid autem uerius eo,
 quod ait, ſæui nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per uiam illam. Quis enim ex omni genere
 humano ſæuitiam mortis intactus euadit? Omnes in Adam peccauerunt (ait Apoſtoloſ)
 & omnes in Adam moriuntur. Vbi peccauit Adam, protinus & ipſe morte animæ mor-
 tuus eſt, & nos in ipſo mortui ſumus: & ubi dictum eſt ei, quia puluis es & in puluere re-
 uertis, & ipſe morti corporis, & cum illo nos additi ſumus. Vere igitur per uiam illam
 nullas tranſire poterat, quia qui mortem non uideret, & animam ſuam erueret de manu
 inferi, nullus erat. Sed uenit iſte, in quo nihil iuris ulla mors habuit, & quia per unam ui-
 delicet corporis mortem iniuria facta eſt illi, iure ſub illo mors utraq; occubuit, non ſine
 magno tormento principis utriuſq; mortis & ſatellitum eius, quas cum illo foras miſit. Si-
 cut enim deſcenſus eius ad inferos populo ſanctorum deſyderabilis, ita legionibus dæmo-
 num grauis fuit & intolerabilis. Dicebant ergo. Quid nobis & tibi Ieſu fili dei? Veniſti
 huc ante tempus torquere nos. Tempus illud, quo ſe torquendos eſſe nouerunt, ultimum
 erit iudicium, quando princeps eorum cum ipſis, & ipſi cum principe ſuo, uidentibus cun-
 ctis (ut in Iob ſcriptum eſt) præcipitabuntur in ignem æternum. ¶ Quomodo tandem im-
 pletum eſt in myſterio, quod ſignificabatur in miraculo, ſcilicet in eo, quod grex porco-
 rum totus cum impetu per præceps in mare abiit, & mortui ſunt in aquis? Ita nimirum, ut
 fieret quod ipſe filius hominis ſciens prælocutus eſt. Cum (inquit) immundus ſpiritus
 exierit ab hoie, & cætera uſq; tunc uadit & aſſumit ſeptē alios ſpiritus ſecū nequiores ſe,
 & ingreſſi habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Per unum
 quippe hominem eiſmodi, Iudæos incredulos atq; blaſphemos uult intelligi, qui non
 tam Iudæi quàm Chananæi, non tam uituli æſtimandi ſunt quàm porci. Ipſi namq; de
 bono opere Saluatoris peiores effecti, & inde per inuidiam mortui, quod ille unam in ſe-
 metipſo & utramq; in ſuis fidelibus mortem uicit, malignis ſunt ſpiribus traditi, & per
 furorem ſuum facti impetu, ſemetipſos in mari præcipitauerunt. Nimirum ſeditiones ex-
 citando implacabiles, ut plurimi ſcriptores & maxime Iosephus refert, in Romanum irru-
 erunt imperium, & mira inſania, mirabili pertinacia uictores omnium gentium in ſuas
 neceſ, in excidium loci & gentis excitauerunt. Quid fuit ita furere, niſi porcos à malignis
 ſpiribus agitados, per præceps & cum impetu abire in mare? Si ergo perpendas ſuere-
 ſpicias quid olim in Aegypto ante acceptam legem fuerint, & quid nunc poſt aduentum
 fecerint redemptoris aut receperint, recte dicas, quia nouiſſima horum peiora ſunt priori-
 bus, & ita tam ſecundum animam quàm ſecundum corpus in omne miſeriarum profun-
 dum præcipitati ſunt, ut porci illi quibus propter furias demonum nec ſuus, quamuis bru-
 tus, ſubefſe poterat ſenſus. ¶ Et aſcendens in nauiculam tranſfretauit, & uenit in
 ciuitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum, iacentem in lecto. Et uidens
 Iheſus fidem illorum, dixit paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.
 Et ecce quidam de ſcribis dixerunt intra ſe. Hic blaſphemat. Et cum uidiſſet Ihe-
 ſus cogitationes eorū, dixit. Ut quid cogitatis mala in cordibus ueſtris? Quid
 eſt facilius dicere remittuntur tibi peccata, aut dicere ſurge et ambula? Ut ſciatis
 aut, quoniam filius hominis poteſtatem habet dimittendi peccata, tunc ait para-
 lytico. Surge, tolle lectum tuum, et uade in domum tuam. Et reſurrexit, et abiit in
 domum ſuam. Uidentes aut turbę timuerunt, et glorificauerunt deum, qui dedit
 poteſtatem talem hominibus. ¶ Poteſtatem filiꝝ hominis, quam ad honorem & gloriã
 ipſius

Ioh. 74

Rom. 5

Gene. 30

Iob. 74.

Myſterium hu-
 ius miraculi,
 cõtra Iudæos
 porci ſiſe.
 Matr. 12.

Iosephus de he-
 llo Iud. p. ſep-
 tem libros.

CAP. IX.

ipſus conſyderare & cognoscere intendimus, ex mirabilibus eius factis & dictis ipſemet
 ore proprio hic enunciauit in re huiusmodi, in qua potiffimum expediebat nobis potentē
 eſſe hunc dominum, ſcilicet in remiſſionem peccatorum. Hoc eatenus non dixerat, q̄ po
 teſtatem haberet dimittendi peccata, ſapienti nimirum uſus prouidentia diſcretionis, qua
 tinus non hoc ante diceret q̄ factis comprobaret: & ipſi ſpiritus, quos uerbo eiſciebat, tor
 ti confiterentur, ipſum eſſe, de quo propheta prædixerat. Et tu Bethleēm terra iuda, ne
 quaquam minima es in principibus iuda, ex te enī exiet dux, qui regat populum meū Iſra
 hel. Quæ enim illic in eodem propheta ſequentur, eorum ſumma eſt, ſaluū facere pop
 ulum ſuum à peccatis eorum. Poſtquam ergo precedentibus factis comprobatum fuit,
 quod ipſe eſſet & credi deberet eſſe ille dux Iſrahel, dux Meſſias, id eſt Chriſtus, tunc de
 mum paralyticum, curaturus, conſide(ait) ſili, remittūt tibi peccata tua, ut dum tam præ
 ſentia miracula, q̄ antiqua prophetarū oracula, ſermonem præſentis confirmant, minus of
 fendantur, qui abſq̄ offenſione doceri non poſſunt, tardi ad credendum, imō & impatient
 res ad audiendum. Nam erant in hoc offendi, & offendebantur offenſione uolunta
 ria, maxime ſcribæ & phariſæi, non ueritatem quærentes, ſed ueritati inuidentes. Nā pro
 rinus ubi dixit, conſide ſili, remittuntur tibi peccata tua, & ecce(inquit Euangelista) quidā
 de ſcribis dixerunt intra ſe. Hic blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus deus.
 Vidit enī cogitationes eorum, & dixit. Ut quid cogitatis mala in cordibus ueſtris? Fortaſ
 ſis & hoc dixerunt intra ſe, ſed & de iſto reſpondit eis ſua ipſoꝝ conſcientia, & de illo uir
 tus operis manifeſta, ſequente effecti u iuſſionem dicentis, ſurge & ambula. Et utriq̄ con
 uincit incredulos, quod excuſationem non habeant de peccato ſuo. Quid autem ad illam
 interrogationem reſpondendum erat, quid eſt facilius dicere, dimittūt tibi peccata, aut
 dicere, ſurge & ambula: niſi facilius eſſe dicere, dimittuntur tibi peccata? Nam apud ipſum
 quidem filius hominis ita unum ſicut alterum facile erat, ſed apud homines longe facilius
 eſt dicere, dimittuntur tibi peccata, q̄ ipſam peccatorum dimiſſionem comprobare testi
 monio uirtutis qualis protinus eſt ſubſecuta. ¶ Secundum exemplum hoc fere quotidie
 fit in ciuitate dñi, ſcilicet in eccleſia, quæ utiq̄ eſt ciuitas dñi, ciuitas regis magni, ad quam
 ipſe tranſfretauit & uenit, poſt q̄ (ut dictū eſt ſupra) & mortis corpoꝝ noſtrorū ſeniā ſe
 dauit, & mortis animarum noſtrarum ſæuum impium ſoluit. Nam quotiens facimus illud,
 quod Iacobus Apoſtolus dicit. Infirmatur quis in uobis, inducat præbyteros eccleſiæ &
 orent ſuper eum, ungetes eum oleo ſancto in nomine domini, & oratio fidei ſaluabit infir
 mum: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Quotiens(inquam) hoc facimus, paralyticum ſiue
 undecunq̄ infirmum domino offerimus, & ſicut uidens fidem illorū dixit, remittuntur tibi
 peccata, ita & nunc oratio fidei ſaluat infirmum: & ſi in peccatis eſt, dimittūt ei. ¶ Pre
 terea iuxta ſenſum altiore paralyticus tunc à domino curatur, quando fit, ut iſ qui nihil
 operabatur, iam nunc operetur, quemadmodum dicit Apoſtolus. Qui ſurabatur iam non
 furetur: Magis autem labore operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tri
 buat neceſſitatem patienti. Nam qui nihil operabatur, & aliena ſurabatur, nonne uerā pa
 ralyſin habebat in manibus? Similiter qui ad bonum & utilem ſermonem mutus erat, nō
 ne ueram in lingua paralyſim habebat? Igitur cum circa huiusmodi ſic operatur dominus,
 ſiue per ſemetipſum tantum, ſiue miniſtris ſuis cooperantibus: ut qualiter paralyticus eu
 rat, iam nunc & bene labore operando manibus ſuis, et omnis ſermo malus ex ore eius
 non procedat (ut ait continuo idem Apoſtolus) ſed ſi quis bonus eſt ad ædificationem ſi
 dei, ut det gratiam audientibus, merito turbæ gloriſcent dominum, qui dedit poteſtatem
 æalem hominibus.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

Mich. 8.

Myſteriu huius
 ius curatiōis
 paralytici, in
 eccleſia.

Iacobi. 5.

Eph. 4.